

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0091

0089

0095

0085

0100

0080

0140

0040

0190

0590

1090

Ende

Anfang

80

Prov. 21., sed non unam invenit, unde Eccles. VII. dixit:  
virum fortem unum ex mille reperi, mulieres ex omnibus non  
inveni. Si autem fuisset in nostro exercitu, non invenisset  
unum virum fortem, omnes erant fracti laboribus, et extenuati  
inedia, nulla vero mulier erat infirma, nulla suspirabat, nulla  
prae labore gemebat. Sed unde fragilibus fortitudo, mulieribus  
robur, nisi ab eo, qui infirma mundi elit, ut confundat  
fortia, qui praetulit eas viris, ne quis glorietur de sexu, de  
fortitudine, pulchritudine, juventute et de nobilitate. Siqui-  
dem nec ipsae erant viri, nec fortes, nec pulchrae, nec nobiles,  
et tamen omnes labores peregerunt sine defectu, per quos  
militia acquiritur. Et in hoc confudit Deus superbiam illorum  
militum, qui cas dignabantur habere socias, et qui perditio-  
nem unius illarum parvi pendit in solitudine Jordanis, ut patet  
supra fol. 201 A. Et ibi quaere plura de his. Sed rideas  
forsan, et mulierularum deliramenta subsannes! Ad haec  
Jeronymus contra Vigilantium: non, inquit, erubesco earum  
fidem, quae primae viderunt Dominum resurgentem, quae mit-  
tuntur ad Apostolos, quae in matre Domini Salvatoris sanctis  
Apostolis commendantur. Ut quid autem praeconio illarum  
vetularum tantum immoror! Sufficiat ergo ad praesens.

Igitur circa medium noctis post fatigas multas et altum  
ascensum venimus ad fontem de saltu emanantem, qui, ut opinor  
Josuae 18., fons solis nominatur, ex eo forte, quod contra solis  
ortum stat et solis radiis percussus calescit. Vel forte Spiritu  
Sancto praeordinante sic dictus est fons ille, quia sol justitiae,  
Christus, Deus noster, ex eo crebrius bibisse creditur, quia  
multotiens per illam viam descendit et ascendit. Juxta hunc  
fontem jusserrunt nos ductores nostri descendere, quo auditio prae-  
gaudio non descendimus, sed de bestiis cecidimus. Est etiam  
circa fontem domus antiqua et destructa, de qua quatuor  
muri tantum manserunt, quae olim diversorum erat sive  
hospitium, et dicitur domus Rubea, etiam a deserti nomine  
Adammim. Hanc domum ingressi sumus et accensis lumini-  
bus locum aptavimus removentes hominum et bestiarum ster-  
cera, quibus erat repleta, et lapides aptavimus pro sessione et  
dormitione.

